

CAPITULUM 3

§1

Illud vero quemadmodum... <1,14-6>. Tertia conclusio huius prologi est haec: ad logicum pertinet determinare de universalibus secundum quod praedicabilia sunt.

Probatur: ad logicum pertinet determinare de universalibus eo modo quo antiqui tractaverunt, et maxime Peripatetici, qui se logicae studio dedicaverunt; sed illi tractaverunt de genere et specie et de aliis propositis tribus universalibus secundum quod praedicabilia sunt; igitur etc. Patet consequentia cum maiori; minor autem est evidens, quia ipsi non tractaverunt de universalibus demonstrative, eo modo quo metaphysicus, sed tantum probabiliter, inquirendo modum praedicandi illorum.

Haec tamen conclusio sequitur ex prioribus ut arguatur sic: ad logicum pertinet determinare de universalibus, per primam conclusionem; et non pertinet determinare de universalibus secundum quod universalialia sunt per esse unum in multis, per secundam conclusionem; ergo ad ipsum pertinet determinare de universalibus secundum quod praedicabilia sunt. Patet consequentia, quia universale non aliter consideratur nisi ut unum ens in multis et unum praedicabile de multis. Dicit ergo Porphyrius¹ quod illud solum temptabit dicere quod antiqui et maxime Peripatetici probabiliter tractaverunt.

Lege litteram: illud vero quemadmodum de his, videlicet de genere et specie, ac de propositis aliis tribus universalibus probabiliter antiqui tractaverunt, et horum maxime Peripatetici, tibi Chrysaori nunc temptabo monstrare.

De sectis antiquorum philosophorum

Notandum primo² quod antiquorum tres sectae fuerunt loquentes de felicitate. Prima fuit Epicureorum, ponentium felicitatem in deliciis; secunda fuit Stoicorum, dicentium illam esse in moribus; tertia fuit Peripateticorum, qui eam consistere docuerunt in speculationibus. Et quia consideratio de universalibus est speculativa, ideo dicit Porphyrius se imitari velle Peripateticos, eos videlicet qui tantum quinque universalia posuerunt, scilicet genus, speciem et alia tria proposita, scilicet differentiam, proprium et accidens. Quorum sufficientia sic haberi potest. Nam omne universale aut praedicatur in quid aut in quale. Si in quid, aut de pluribus differentibus specie, et illud est genus, aut immediate de pluribus differentibus numero, et illud est species. Si autem praedicatur in quale, aut igitur in quale essentialiter aut in quale accidentaliter. Si in quale essentialiter, illud est differentia. Si vero praedicatur in quale accidentaliter, aut ergo convertibiliter, et illud est proprium, aut non convertibiliter, et illud est accidens. **P**roprium enim convertitur cum subiecto suo, sed accidens non convertitur cum illo.

Dubitatur: si species immediate praedicatur in quid de pluribus differentibus numero sicut genus de pluribus differentibus specie, sequitur quod species dicit totam quidditatem individui sicut genus dicit totam quidditatem speciei. Sed consequens est falsum, quia homo est species et Sortes est individuum, tamen homo non dicit totam quidditatem Sortis, quia materia et forma sunt de quidditate Sortis et non de quidditate hominis in communi.

Respondetur quod genus dicit totam quidditatem speciei, non quia componatur ex partibus speciei, quia genus ut genus non componitur ex genere et differentia, aliter procederetur in infinitum -species autem, ut sic, componitur ex genere et differentia-; sed genus ideo dicit to

tam quidditatem speciei quia includit omnem conceptum praedicabilem in quid de specie. Constat autem quod etiam species includit omnem conceptum praedicabilem in quid de individuo; igitur species dicit totam quidditatem individui. Neque est de ratione speciei quod aliter componatur quam ex genere et differentia aut ex suis partibus subiectivis. Quandoque tamen contingit quod componitur ex materia et forma, videlicet species compositi naturalis. Unde, sicut Sortes componitur per se ex hac materia et illa forma, ita homo componitur per se ex materia et forma in communi; et sicut accidit homini quod Sortes sit pars subiectiva eius, ita accidit ei quod partes essentielles aut quantitativae Sortis sint partes hominis in communi.

§3

De subiecto logicae

Secundo notandum³ quod de subiecto logicae fuerunt quattuor opiniones. Prima fuit quorundam antiquorum ante Avicennam, dicentium sermonem esse subiectum logicae, accipiendo logicam large ut est genus ad grammaticam, rhetoricam et dialecticam, quoniam quaelibet istarum scientiarum dicitur sermocinalis. Grammatica enim est sermocinalis quia utitur sermone quando docet distinguere congruum ab incongruo; rhetorica est sermocinalis quia mediante sermone docet suadere ornate unam partem contradictionis; iterum dialectica est sermocinalis quia mediante sermone docet distinguere verum a falso. Quia igitur quaelibet istarum sermocinalis vocatur quia ad sermonem et ad locutionem est ordinata, et quaelibet scientia denominatur a suo subiecto, ut probatur I Posteriorum,⁴ ideo videtur quod sermo seu locutio sit subiectum logicae large sumptae.

Istam opinionem impugnat Avicenna, I Logicae⁵ suae, dicens: "si sermo est subiectum logicae, aut igitur significat ad placitum vel naturaliter. Si ad placitum, non potest esse subiectum logicae, quia lo

gicus etsi utitur ratione per se, tamen per accidens utitur sermone, videlicet ex eo tantum ut per sermonem conceptum et ratiocinationem mentis alteri a se possit exprimere. Non etiam naturaliter, quia tunc idem semper significaret et apud omnes. Quod non est verum, quia sermo latinus illud quod significat apud latinos non significat idem apud omnes alias nationes, sed omnino aliud aut nihil".

Imaginat^{ur} enim Avicenna quod sicut vox est species soni, ita sermo vel locutio est species vocis, ut colligitur a Philosopho, II De anima;⁶ quia sicut omnis vox est sonus et non e contra, ita omnis sermo seu locutio est vox et non e contra. Sicut enim vox superaddit sono refractionem naturalem dearticulatam in canna pulmonis, ita sermo seu locutio superaddit voci dearticulationem ad placitum figuratam in lingua; ita quod locutio seu sermo non est vox simpliciter et absolute sumpta, sed est vox cum tali dearticulatione et figuratione ad placitum. Propterea locutio aut sermo est simpliciter ad placitum et non naturalis, licet materia locutionis seu sermonis sit naturalis, scilicet vox; sicut cultellus est res artificialis et non naturalis, non obstante quod materia eius, scilicet ferrum, sit res naturalis. Omne enim compositum denominatur a forma, sive sit naturalis sive artificialis; constat autem quod dearticulatio et figuratio facta in voce ad placitum se habet ut forma supra vocem; ideo totum compositum ab illa capit denominationem. Neque obstat quod Philosophus dicit, I Politicorum,⁷ quod homini natura sermonem dedit, quia illud est intelligendum secundum suum esse materiale et non formale.

Cum autem arguitur quod logica dicitur sermocinalis, respondetur quod illa denominatio sumitur a fine, non a subiecto, quia illa ordinata est ad loquendum et sermocinandum; eo modo quo dicimus aliquam esse scientiam practicam et aliam speculativam.

Secunda opinio fuit Avicennae, Alfarabii, Algazelis et Alberti,⁸ dicentium argumentationem esse subiectum logicae. Quoniam logica est

ordinata ut deveniatur in notitiam incogniti per aliquod notum; sed argumentatio est instrumentum per quod devenitur in notitiam incogniti per aliquod notum; ergo argumentatio est subiectum logicae. Tenet consequentia cum maiori; minor vero est manifesta consideranti omnia genera argumentationum. Per omnia enim venimus in notitiam incogniti ex aliquo noto, licet evidentius et expressius per syllogismum quam per enthymema, aut inductionem vel exemplum.

Contra hanc opinionem arguitur quaerendo utrum logicus consideret de omni genere argumentationum vel non. Si sic, videtur quod hoc fit in libro Topicorum. Cum ergo argumentatio sit subiectum illius libri, sequitur totum non differre a parte. Quia scientia recipit distinctionem a subiecto suo, per Philosophum, I Posteriorum,⁹ si ergo argumentatio est subiectum totius logicae et libri Topicorum, necesse est totam logicam esse librum Topicorum. Si autem dicitur quod logicus non considerat nisi duo genera argumentationum, videlicet syllogismum et enthymema, et quod inductio et exemplum ad rhetoricum pertinet, sequitur quod argumentatio non est subiectum logicae, quia una scientia est unius generis subiecti partes et passiones considerans, per Philosophum, I Posteriorum.¹⁰

Item, logicus considerat de praedicabilibus et praedicamentis; non quidem in quantum sunt principia argumentationis, sed in quantum sunt principia ratiocinationis; igitur argumentatio non est subiectum logicae. Tenet consequentia, quia si physicus consideraret materiam et formam, et non in quantum principia corporis mobilis vel sensibilis, non esset subiectum philosophiae naturalis corpus mobile nec corpus sensibile, sed corpus absolute sumptum, aut aliud subiectum magis commune quam corpus mobile aut corpus sensibile. Antecedens est manifestum, quia in conceptibus incomplexis cognoscimus ignotum ex cognito per viam divisionis et compositionis, formando definitionem absque argumentatione aliqua, ut colligitur a Philosopho, II Posteriorum¹¹ et

VI Topicorum.¹²

Et ex hoc solvitur argumentum Avicennae, concedendo quod logica ordinata est ut cognoscatur incognitum per aliquod notum; non tamen argumentatio est instrumentum generale per quod cognoscitur ignotum per cognitum, quia talis processus aliquando habetur sine argumentatione, videlicet per definitionem. Et dato quod argumentatio esset instrumentum generale, non propter hoc est subiectum logicae; quia liber Physicorum ordinatur finaliter propter cognitionem primi motoris, et motus est instrumentum quo devenitur in cognitionem illius, et tamen motus non est subiectum libri Physicorum, sed passio sui subiecti.

Tertia opinio fuit Johannis Scoti¹³ et communiter omnium modernorum parisiensium, dicentium syllogismum esse subiectum logicae. Et hoc propter tres condiciones requisitas ad subiectum scientiae. Quarum prima est quod sit praecognitum in scientia quo ad quid est ^{et} quia est. Unde in prologo Posteriorum¹⁴ dicit Philosophus quod ante demonstratione^m oportet de subiecto praecognoscere quid est et quia est. Secunda condicio est quod per eius quod quid est demonstrantur in scientia passionem illius subiecti de eo, alioquin non diceretur subiectum. Tertia condicio est quod ad ipsum reducantur omnia considerata in scientia et propter ipsum considerentur, quia aliter ab eius unitate non dependeret unitas scientiae.

Prima istarum condicionum videtur habere syllogismus, quia, statim post determinationem de partibus eius in logica veteri, in principio libri Priorum¹⁵ praemittit definitionem syllogismi. Secundam etiam habet, quia in eodem libro multas passionem de syllogismo ostendit per definitionem eius, ut fieri tantum ex tribus terminis, et duabus praemissis et unica conclusione. Iterum, tertiam condicionem habere videtur, quia propter ipsum determinatur tam de partibus integralibus eius, in veteri logica, quam subiectivis, in libro Topicorum et

Posteriorum. Aliae species argumentationis reducuntur ad ipsum sicut imperfectum ad perfectum. Syllogismus autem sophisticus etiam ad ipsum reducitur sicut privatio ad habitum; eiusdem enim est cognoscere privationem et habitum, ut habetur II De anima,¹⁶ et oppositorum eadem est disciplina, per Philosophum, IX Metaphysicae.¹⁷

Contra hanc opinionem procedunt argumenta facta contra aliam opinionem, quoniam tunc tota logica esset liber Priorum, ex quo syllogismus est utriusque subiectum et logicus consideret de praedicabilibus et praedicamentis ut sunt principia syllogismi. Quod non est verum.

Tamen in speciali arguitur sic: idem debet esse subiectum scientiae et principiorum eius; sed syllogismus non est subiectum principiorum logicae; ergo non est subiectum logicae. Tenet consequentia cum maiori, quia tota scientia virtualiter continetur in principiis. Minor est evidens, quia principia logicae sunt 'de quolibet esse vel non esse', 'non contingit idem simul esse et non esse', ex quo est scientia aequae communis sicut metaphysica, ut testatur Commentator, III Metaphysicae;¹⁸ constat autem syllogismum non esse subiectum illorum principiorum.

Fundamentum autem istius opinionis quo ad illas tres condiciones non est omnino verum. Conceditur enim prima condicio, quod in qualibet scientia de subiecto oportet praecognoscere quid est et quia est. Sed secunda non est vera, quod per quod quid est subiecti demonstrantur in scientia sua passione^s eius de illo; quia ens est subiectum metaphysicae, cuius passio est unum, per Philosophum, IV Metaphysicae,¹⁹ et tamen per quod quid est ipsius entis non demonstratur unum de ente. Non etiam in arithmetica demonstratur par vel impar de numero per definitionem numeri, sed praesupponitur. Iterum, magnitudo est subiectum geometriae, cuius passio est divisibilitas in infinitum, quae de magnitudine per definitionem eius non demonstratur in geometria, sed in physica, ut habetur VI Physicorum.²⁰ Nec unitas scientiae accipitur a de

demonstratione passionis de subiecto, ut probat Philosophus, I Posteriorum.²¹ Tertia autem condicio est in parte vera et in parte falsa. Verum quidem est quod omnia considerata in scientia reducuntur ad subiectum; non tamen propter ipsum considerantur, sed propter finem intentum in scientia. Ens enim est subiectum metaphysicae, non tamen omnia considerata in metaphysica considerantur propter ens, sed propter primam substantiam immaterialem, quae est Deus.

Item, ex modo applicandi istas condiciones ad syllogismum manifeste declaratur syllogismum non esse subiectum logicae. Quia logica non praesupponit quid est et quia est de syllogismo, sed tantum ars vetus. Non etiam propter ipsum determinatur in arte nova de praedicabilibus et praedicamentis, sed propter ratiocinari, quod in plus se habet quam syllogismus. Si autem de syllogismo demonstrantur passionnes multae in libro Priorum, hoc non probat syllogismum esse subiectum logicae, sed potius contrarium. Quia, ut dictum est, non oportet de universali subiecto probare passionnes, sed sufficit quod de subiectis particularibus, secundum illud Philosophi, I Posteriorum,²² "una scientia est unius generis subiecti partes et passionnes considerans", id est: probans passionnes de partibus subiectivis, quae sunt particularia subiecta. Quare etc.

Quarta opinio est Averrois, III Metaphysicae,²³ dicentis quod ens rationis est subiectum logicae. Quoniam logica, cum sit scientia aequae communis sicut metaphysica, considerans de omnibus rebus mundi sicut illa, debet habere subiectum aequae commune sicut metaphysica; constat autem quod ens est subiectum metaphysicae, ut habetur IV Primae philosophiae;²⁴ ergo etiam est subiectum logicae, licet non sub eadem consideratione - quia ens ut ens est subiectum metaphysicae, sed ens ut principium et fundamentum ratiocinandi est subiectum logicae. Propterea vult Commentator²⁵ quod ens rationis sit subiectum logicae, quam etiam opinionem sequitur beatus Thomas, IV Metaphysicae.²⁶

Sicut ergo metaphysica est scientia considerans de omnibus secundum suam entitatem simpliciter, ita logica est scientia communis de omnibus considerans, non quidem simpliciter sed in ordine ad rationem; et sicut metaphysica est de omnibus rebus mundi ut habent esse in se, sic logica est de omnibus ut habent esse in intellectu.

Item, logica, cum sit directiva rationis, de omnibus illis considerat in quibus ratio errare potest; constat autem quod ratio errare potest non solum in connexionem syllogisticam vel argumentativam, sed etiam in ordine praedicabilium et praedicamentorum, et in formatione enuntiationum; igitur consideratio logica excedit considerationem syllogisticam et argumentativam. Quae propter videtur assignandum esse subiectum communius quam sit syllogismus vel argumentatio, vel aliquid aliud.

Dicendum ergo quod triplex est logica, videlicet simpliciter totalis, simpliciter partialis et partim totalis et partialis. Logica simpliciter totalis est illa quae est totum et non pars, illa scilicet quae aggregat in se omnes habitus logicae omnium conclusionum, praemissarum et principiorum; et huius subiectum est ens rationis. Logica simpliciter partialis est illa quae tantum est habitus unius conclusionis, ita quod est pars et non est totum, sicut est habitus huius conclusionis 'omnis enuntiatio est vera vel falsa' aut istius 'omne universale est univocum'; et sic non datur tantum unum subiectum logicae, sed tot sunt subiecta quot sunt conclusiones. Logica autem totalis et partialis simul est illa quae simul est totum et pars, sicut liber Priorum, qui est totum respectu suarum conclusionum et principiorum, est autem pars totius logicae; talis autem logica etiam habet suum proprium et adaequatum subiectum.

Et secundum quod logicae simpliciter totalis sex sunt partes principales, ita sex sunt subiecta quae sunt partes subiectivae entis rationis. Prima ergo pars logicae est liber Praedicamentorum, cuius subiectum est ens coordinabile; secunda pars logicae est liber Periher-

meneias, cuius subiectum est enuntiatio; tertia pars est liber Priorum, cuius subiectum est syllogismus; quarta pars est liber Topicorum, cuius subiectum est syllogismus probabilis, dato quod non per se determinet de omni genere argumentationum; quinta pars est liber Posteriorum, cuius subiectum est syllogismus demonstrativus; sexta pars est liber Elenchorum, cuius subiectum est syllogismus sophisticus.

Contra praedicta arguitur. Et primo sic: illud est subiectum logicae in quo logica est subiective; sed logica est subiective in anima; igitur subiectum logicae est anima, et non ens rationis.

Secundo: si ens rationis est subiectum logicae, aut igitur quia logica est de ente considerato a ratione aut causato a ratione. Si logicae subiectum est ens rationis, quia est de ente considerato a ratione, sequitur quod subiectum logicae transcendit metas suae considerationis, quia cuiuslibet alterius scientiae subiectum est ens consideratum a ratione. Si autem logicae subiectum est ens rationis, quia est de ente causato a ratione, sequitur quod logica non est nisi de rebus fictis, nullum esse habentibus extra animam -quod non est dicendum.

Tertio, Avicenna in Logica²⁷ dicit quod logica est de intentionibus secundis adiunctis primis. Ubi dicit Boethius²⁸ quod istae sunt communes omnibus determinatis in logica. Non igitur ens rationis est subiectum, sed intentio secunda etc.

Quarto arguitur auctoritate eiusdem Avicennae in sua Metaphysica,²⁹ dicentis quod subiectum logicae sunt intentiones secundo intellectae appositae intentionibus primo intellectis, non secundum quod intelliguntur sed secundum quod in eis devenitur de noto ad ignotum. Constat autem quod per syllogismum aut per argumentationem devenitur de noto ad ignotum; igitur syllogismus vel argumentatio est subiectum logicae.

Ad primum dicitur quod duplex est subiectum, videlicet subiectum in quo et subiectum circa quod. Subiectum in quo est subiectum inhae

sionis et receptionis; subiectum circa quod est subiectum attributio-
nis et denominationis. De subiecto in quo non est sermo praesens,
quia illud est commune omnibus scientiis, sed solum de subiecto circa
quod. Huius subiecti quattuor sunt condiciones: prima quod sit notis-
simum in scientia cuius dicitur subiectum; secunda quod sit communis-
simum per praedicationem; tertia quod non transcendat metas illius
scientiae; quarta quod omnia considerata in scientia illa reducantur
ad ipsum. Constat autem quod ens rationis habet omnes istas condicio-
nes.

Ad secundum respondetur quod ens rationis non est subiectum logicae
propter aliquam illarum causarum, sed ideo ens rationis est subiectum
logicae quia logica considerat de omni ente per respectum ad rationem,
et nihil considerat nisi sub respectu ratiocinandi. Si enim subiecta
aliarum scientiarum sunt ~~etiam~~ ^{etiam} considerata a ratione, nulla tamen alia
scientia considerat subiectum suum per respectum ad rationem. Geome-
tria enim considerat magnitudinem ut magnitudo est, non autem ut est
principium aut fundamentum ratiocinandi; similiter arithmetica consi-
derat numerum in eo quod est multitudo quaedam, non autem ut est ens
rationis neque ut relatum ad rationem.

Ad tertium conceditur quod logica est de intentionibus secundis ut
sunt intentiones secundae, quia in logica non determinatur de rebus
neque de conceptibus, non etiam de vocibus vel scripturis, nisi per
respectum ad intentiones secundas. Si enim de homine vel de animali
determinatur in logica, hoc est in quantum est species aut genus, su-
biectum vel praedicatum propositionis, aut pars syllogismi, scilicet
maior vel minor extremitas aut medius terminus. Non tamen propter hoc
intentio secunda est subiectum logicae, ut credit Burlaeus;³⁰ quia
physicus omnia considerat per comparisonem ad motum, et geometra per
respectum ad mensuram, et arithmeticus per habitudinem ad proportio-
nem, non tamen propter hoc motus est subiectum philosophiae naturalis,

neque mensura est subiectum geometriae, neque proportio est subiectum arithmeticae. Sed motus est passio corporis sensibilis, quod est subiectum scientiae naturalis; et mensura est passio magnitudinis, quae est subiectum geometriae; et proportio est passio numeri, qui est subiectum arithmeticae. Logicus ergo considerat intentiones primas et secundas, non quidem primas absolute, sed ut referuntur ad intentiones secundas; intentiones autem secundas considerat in eo quod huiusmodi, et eas applicat intentionibus primis. Considerat enim genus et speciem secundum quod huiusmodi, et has intentiones applicat intentionibus primis, videlicet homini et animali, dicens hominem esse speciem et animal esse genus; causam assignans, quia homo praedicatur in quid de pluribus differentibus numero et animal de pluribus differentibus specie -constat autem quod praedicari est intentio secunda. Ex quibus omnibus non sequitur quod intentio secunda sit subiectum logicae, sed est passio illius subiecti; sicut enim motus est passio corporis sensibilis vel naturalis, ita intentio secunda est passio entis rationis.

Ad quartum respondetur quod cuiuslibet scientiae totalis triplex est principium, videlicet subiectum, obiectum et passio, loquendo de subiecto adaequato, obiecto primario et passione principali. A subiecto recipit scientia nomen et *distinctionem*, eo quod circa illud est tota consideratio scientiae. Ab obiecto recipit scientia nobilitatem et perfectionem, eo quod propter ipsum tamquam propter finem est tota illa consideratio. A passione vero recipit scientia ordinem et virtutem, eo quod ipsa est instrumentum et via perveniendi in obiectum principaliter intentum tamquam in finem.

Verbi gratia, subiectum adaequatum libri Physicorum est corpus mobile, circa quod versatur tota consideratio illius libri; obiectum primarium et principaliter intentum est primus motor, quoniam tota consideratio illius libri est ut finaliter deveniatur in notitiam

primi motoris; passio vero principalis est motus, quoniam per motum tamquam per instrumentum et viam pervenitur in notitiam primi motoris, ut Aristoteles ostendit VIII Physicorum.³¹ Similiter libri De anima tria sunt principia, videlicet subiectum, obiectum et passio. Subiectum adaequatum est corpus animatum, circa quod versatur tota consideratio illius libri; obiectum primum est intellectum humanum, quoniam tota illa consideratio dirigitur in intellectus humanum tamquam in finem principaliter intentum; passio vero principalis est vitalis operatio, quae est instrumentum et via perveniendi in cognitionem intellectus humani tamquam in finem. Ista passio est intelligenda per vitam, quam Aristoteles exprimit, II De anima, in definitione animae, dicens³² "anima est actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis".

Consimiliter est dicendum de logica quod illius tria sunt principia, videlicet subiectum, obiectum et passio. Subiectum adaequatum est ens rationis, circa quod versatur omnis consideratio et determinatio logicae. Obiectum primum est inquisitio veritatis, quoniam omnis consideratio et determinatio logicae finaliter propter inquisitionem veritatis non tantum in logica, sed in qualibet alia scientia.^{esC} Dicit enim Philosophus, I Topicorum,³³ quod logica est inquisitiva veritatis ad omnium methodorum principia viam habens. Passio autem principalis est ratiocinatio, quoniam ratiocinatio est instrumentum et via perveniendi in inquisitionem veritatis tamquam in finem principaliter intentum. Haec autem ratiocinatio est quidam motus seu discursus investigandi ignotum per cognitum.

Ex his solutum est argumentum quia, licet per syllogismum et argumentationem deveniatur de noto ad ignotum, non tamen propter hoc sequitur quod argumentatio vel syllogismus sit subiectum logicae, sed magis passio instrumentalis perveniendi in finem logicae. Haec autem passio non est principalis et universalis, sed ratiocinatio, quae est

investigatio ignoti per cognitum tam in conceptibus incomplexis quam in conceptibus complexis.

Et si instatur quia ex verbis Avicennae apparet quod talis discursus habeat rationem finis, concedatur; non quidem finis gratia cuius et principaliter intenti, sed habet rationem finis quo et secundarii, ordinati in ulteriorem finem. Unde Aristoteles^{vult} II Physicorum,³⁴ quod depositio cibi est finis exercitii sive deambulationis, non tamen est finis gratia cuius et principaliter intentus, sed est finis quo, ordinatus ad alium finem, videlicet ad sanitatem. Ita intentiones secundae appositae primis sunt subiectum logicae non quidem universale et adaequatum, sed particulare; et considerantur a logico ut finaliter per eas deveniatur in discursum de noto ad ignotum, tanquam in finem secundarium. Considerat tamen logicus easdem intentiones ut ultimate per eas deveniatur in inquisitionem veritatis tanquam in finem principaliter intentum.

§4

De subiecto libri Porphyrii

Tertio notandum quod de subiecto libri Porphyrii fuerunt plures modi dicendi. Primus modus fuit quorundam parisiensium,³⁵ tempore Johannis Scoti, dicentium quod sicut intentiones secundae applicatae primis sunt subiectum logicae secundum Avicennam, ita quinque universalis sunt subiectum libri Porphyrii, et non aliquid unum simplex. Quia illud est subiectum scientiae de quo agitur in scientia; sed in toto libro Porphyrii agitur de quinque universalibus; ergo quinque universalis sunt subiectum istius libri. In cuius signum Porphyrius nullum unum subiectum nominat in libro isto, sed tantum quinque universalis, scilicet genus, speciem, differentiam, proprium et accidens, quorum passiones et proprietates inquirat post divisiones et definitiones omnium; non autem apparet aliquod unum in quo ista quin

que convenient, cuius assignet divisionem vel definitionem, proprietatem aliquam vel passionem.

Item, si aliquod unum est subiectum libri Porphyrii, illius est aliqua passio ei competens soli et omni et semper, ergo illa est proprium. Quod est inconueniens, quia tunc illa passio convertitur cum illo subiecto et continetur sub proprio, quod est pars subiectiva illius unius subiecti.

Contra hanc opinionem est expressa sententia Aristotelis, dicentis, I Posteriorum,³⁶ quod una scientia est unius generis subiecti partes et passiones considerans. Sed scientia Porphyrii est una; ergo eius est unum subiectum. In cuius signum Porphyrius manifestat convenientiam et differentiam quinque universalium; sed omnis convenientia fundatur in uno, ut probatur V Metaphysicae;³⁷ ergo aliquod est unum in quo illa quinque conveniunt, quod necessario est subiectum libri Porphyrii. Si autem illud non exprimit, hoc facit ad tollendum ambiguitatem et difficultates fortissimas a quibus se vult abstinere, sicut ab aliis quaestionibus nominatis, eo quod in generibus latent aequivocationes, ut habetur VII Physicorum.³⁸

Quando autem arguitur 'illud est subiectum scientiae de quo agitur in scientia; sed de his quinque agitur in scientia; ergo ista quinque sunt subiectum scientiae', ista ratio, si valeret, probaret de qualibet scientia totali quod illius nullum est unum subiectum, accipiendo plura particularia subiecta eius. Ideo negatur maior, si universaliter tenetur; sed conceditur quod omne illud est subiectum scientiae de quo principaliter agitur et circa quod versatur tota consideratio illius scientiae -quod quidem non competit alicui illorum quinque neque omnibus simul.

Deinde, conceditur quod illius unius subiecti est aliqua passio convertibilis, quae est proprietas eius contenta sub proprio, quod est pars subiectiva illius subiecti, secundum suppositionem simpli-

cem, quoniam quaelibet talis passio est proprium et non e contra; non tamen secundum suppositionem personalem. Verbi gratia, supposito iuxta communem modum loquendi quod universale sit subiectum istius libri et quod praedicabile sit passio eius, licet sit verum dicere 'omnis talis intentio "praedicabile" est proprium, et non e converso', non tamen est verum dicere 'omne praedicabile est proprium', quia igitur omne proprium est praedicabile et non e converso. Propterea talis passio communior est, sicut et subiectum suum, quam aliquod illorum quinque praedicabilium.

Secundus modus dicendi fuit Johannis Scoti,³⁹ et Burlaei⁴⁰ et communiter omnium, dicentium quod universale est subiectum libri Porphyrii, quia ex quo de quinque universalibus determinat, illud videtur subiectum in quo omnia ista conveniunt; constat autem quod in hoc conceptu, universale, omnia illa conveniunt. Unde universali competunt tres condiciones subiecti: primo quidem, ipsum praecognitum est quo ad quid est et quia est; secundo, si aliqua passio est univoca istis quinque, illa demonstratur de universali per definitionem eius; tertio, omnia considerata in hoc libro ad universale reducuntur.

Iste modus respondendi tollitur per hoc quia subiectum scientiae non debet exire considerationem illius scientiae, ut colligitur a Philosopho, I Posteriorum;⁴¹ constat autem quod universale exit considerationem scientiae Porphyrii, quia universale est unum in multis et de multis. Constat autem quod haec scientia, sicut et nulla pars logicae, considerat aliquid ut unum in multis, sed solum ut est unum de multis. Et ex hoc patet quod nulla illarum conditionum competit universali secundum quod huiusmodi.

Tertius modus respondendi fuit Johannis Buridani⁴² et aliorum post istos, qui dixerunt quod praedicabile est subiectum in libro Porphyrii. Quoniam illud est subiectum alicuius scientiae quod est communissimum in ea, et non transcendit metas illius scientiae, et omnia con

siderata in scientia illa reducuntur ad illud. Constat autem quod praedicabile est communissimum in libro Porphyrii, quia dividitur in quinque praedicabilia, de quibus solum est consideratio huius scientiae; et non transcendit metas huius scientiae, quia de omnibus nominatis universalibus considerat non in ratione essendi sed praedicandi; iterum omnia considerata reducuntur ad illud, quia quodlibet illorum consideratur in ratione praedicabilis.

Sed iste modus in hoc deficit, quia omne subiectum simplex alicuius scientiae est substantivum et non adiectivum, ut inductive patet. Nam subiectum geometriae est magnitudo, et subiectum arithmeticae est numerus, quorum quodlibet est substantivum et non adiectivum. Subiectum enim scientiae non debet accipi per modum passionis tantum, sed per modum subiecti solum, si fuerit simplex; si autem fuerit compositum, accipi debet in forma substantivi et adiectivi simul, sicut patet de subiecto philosophiae naturalis, quod est corpus sensibile, et de subiecto perspectivae, quod est linea visualis, et de subiecto arithmeticae, quod est numerus sonorus. Non enim bene acciperetur sensibile pro subiecto scientiae naturalis, neque visuale pro subiecto perspectivae, neque sonorosum pro subiecto musicae, quia tales conceptus habent rationem passionis et non subiecti.

Ideo praedicabile non potest esse subiectum alicuius scientiae, quia habet rationem passionis et non subiecti; et licet praedicabile sit communissimum in libro Porphyrii neque excedat metas illius scientiae, non tamen omnia considerata reducuntur ad illud, quia ipsummet praedicabile reducitur ad aliud quod habet rationem subiecti.

Quartus modus respondendi esse debet quod nullum istorum est subiectum in libro Porphyrii, sed ens praedicabile; quoniam subiectum totius scientiae debet distribui in partes eius secundum limitationem alicuius passionis vel considerationis. Verbi gratia, subiectum philosophiae naturalis est corpus sensibile aut naturale; distribui

tur autem in partes philosophiae secundum alias passiones vel considerationes magis limitatas, ita quod subiectum libri Physicorum est corpus mobile, subiectum libri De caelo est corpus mobile ad ubi, subiectum libri De generatione est corpus mobile ad formam, et sic consequenter. Quia igitur subiectum totius logicae est ens rationis, oportet quod descendat in partes logicae restrictum et limitatum, ita quod subiectum libri Porphyrii est ens praedicabile, et subiectum libri Praedicamentorum est ens coordinabile, et sic de aliis suo modo.

Contra praedicta arguitur sic: idem est ens praedicabile et praedicabile seu universale, quoniam omnes istae intentiones invicem convertuntur; ergo non est ratio propter quam ens praedicabile sit subiectum et non praedicabile aut universale.

Secundo: nullum ens praedicabile est subiectum libri Porphyrii, ergo etc. Probatur antecedens: quia nec hoc ens praedicabile, genus, est subiectum, nec illud ens praedicabile, species, est subiectum, et sic de aliis tribus; et non sunt plura entia praedicabilia quam ista quinque; ergo nullum ens praedicabile est subiectum huius libri.

Tertio: subiectum alicuius scientiae debet praedicari de omnibus contentis in ea, ut colligitur a Philosopho, I Posteriorum; ⁴³ constat autem quod ens praedicabile non praedicatur de omnibus contentis in libro Porphyrii, quia non de individuo neque de communitatibus et proprietatibus universalium; igitur etc.

Quarto: sequitur quod scientia libri Porphyrii est scientia per accidens, quia subiectum eius est subiectum per accidens. Primo quidem quia accidit enti esse praedicabile. Secundo quia omne compositum ex subiecto et accidente seu passione est ens per accidens, ut probatur V Metaphysicae, ⁴⁴ scilicet homo albus seu homo musicus; constat autem quod ens praedicabile sic componitur. Quia igitur quaelibet scientia a subiecto capit denominationem, ut habetur I Posteriorum

rum,⁴⁵ ideo si subiectum est ens per accidens oportet quod scientia sit scientia per accidens.

Ad primum dicitur quod licet illa tria convertantur et sint idem realiter, tamen quia differunt ratione non oportet quod, si unum eorum sit subiectum alicuius scientiae, quod alia duo sint subiecta; quia ens et unum sunt idem et invicem convertuntur, per Philosophum, IV Metaphysicae,⁴⁶ et tamen ens est subiectum metaphysicae et non unum. Similiter, corpus mobile et mobile invicem convertuntur et sunt idem, et tamen corpus mobile est subiectum libri Physicorum, et non mobile; ex quo mobile habet rationem passionis et non subiecti.

Ad secundum negatur illa consequentia 'nullum ens praedicabile est subiectum libri Porphyrii, ergo ens praedicabile non est subiectum'. Sicut non sequitur 'nullus homo est species, nec aliquod animal est genus, igitur homo non est species et animal non est genus', etiam non sequitur 'nullum corpus mobile est subiectum libri Physicorum, igitur corpus mobile non est subiectum illius libri'. Continue arguitur a suppositione personali ad suppositionem simplicem.

Ad tertium respondetur quod subiectum alicuius scientiae verificatur de omnibus contentis et consideratis in scientia illa in recto vel in obliquo. Unde in philosophia naturali consideratur de motu, loco et tempore et primo motore; et tamen nullum istorum est corpus mobile. Sufficit enim quod motus, locus et tempus sint passiones corporis mobilis, et quod primus motor sit causa et principium corporis mobilis. Ita in proposito non oportet quod individuum sit ens praedicabile aut aliqua proprietas illorum quinque universalium, sed sufficit quod individuum sit pars entis praedicabilis et quod proprietates sint passiones aut accidentia entis praedicabilis.

Ad quartum negatur consequentia, et dicitur quod ens praedicabile, licet sit ens per accidens, non tamen est subiectum per accidens; sicut etiam linea visualis et numerus sonorus; ista sunt per se subiec

ta perspectivae et musicae, non obstante quod sint entia per accidens. Sic etiam homo albus est ens per accidens, et tamen est subiectum per se huius propositionis 'homo albus currit'.

Cum autem arguitur 'enti accidit esse praedicabile, igitur ens praedicabile est subiectum per accidens', negatur consequentia, quia etsi enti accidit esse praedicabile, non tamen praedicabili accidit esse ens, eo quod omne praedicabile est per se ens.

§5

De universali large et stricte sumpto

Quarto notandum quod universale accipitur dupliciter, videlicet large et stricte. Large idem est quod conceptus communis incomplexus, eo modo quod dicit Philosophus, XII Metaphysicae,⁴⁷ quod ens est universale. Et sic universalialia seu praedicabilia sunt multo plura quam quinque, quia ens, unum, verum et alia multa dicuntur isto modo universalialia. Universale autem stricte est conceptus communis praedicamentalis simplex. Et sic universalialia sunt tantum quinque; ad hunc intellectum, quod maximus numerus universalium non communicantium in denominatione propinqua est numerus quinarium, quoniam innumerabilia sunt primarium intentionum universalialia inter se distincta, sicut patet discurrendo per decem praedicamenta. Tamen quo ad intentiones secundas non sunt nisi quinque, quoniam omne universale aut est genus, aut species, aut differentia, aut proprium, aut accidens.

Et notanter dixi quod universale stricte sumptum est conceptus praedicamentalis, ita quod omne universale, proprie et stricte loquendo, est in aliquo praedicamento. Cum igitur ille conceptus, universale, et alia quinque iam nominata non sint in aliquo praedicamento, quia sunt antepaedicamenta, ideo divisio universalis in quinque praedicabilia non est divisio generis in species, sed est divisio totius in partes subiectivas; eo modo quo ens dividitur in substantia^m et accidens, aut

in decem praedicamenta. Quia ergo praedicamenta sunt tantum primarum intentionum, propterea nulla intentio secunda est in aliquo praedicamento.

Alii tamen dicunt contrarium, videlicet quod universale ex quo refertur ad particulare pertinet ad praedicamentum relationis; in quo praedicamento consequenter ponunt genus et speciem propter relationem mutuan.

Marsilius⁴⁸ vero dicit quod nullum istorum est in aliquo praedicamento terminorum primae intentionis, sed habent proprium praedicamentum terminorum secundae intentionis, cuius generalissimum est 'signum', cuius genus subalternum est 'universale', sub quo ponuntur illae quinque species, videlicet 'genus', 'species', 'differentia', 'proprium' et 'accidens'.

Disconveniunt ergo isti quia Marsilius ponit universale in praedicamento secundae intentionis, alii autem in praedicamento relationis; conveniunt autem in hoc, quia omnes dicunt universale esse genus ad quinque praedicabilia, ita quod illa divisio est generis in suas species. Quod quidem arguunt per definitionem generis: nam universale praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid, ergo est genus. Probatur antecedens: nam ista quinque praedicabilia sunt diversarum specierum, de quorum quolibet praedicatur universale, ut manifestum est. Sed quod in quid declaratur. Nam ad interrogationem quaerentem 'quid est genus?' convenienter respondetur 'universale', et si quaeritur 'quid est species?' convenienter respondetur 'universale', et sic de aliis; ex quo universale dividitur in ea et praedicatur de illis in primo modo dicendi per se.

Sed nulla istarum opinionum est sufficiens. Si enim universale esset de praedicamento relationis, generalissimum illius universaliter praedicaretur de illo; et sic omne universale esset ad aliquid. Quod est falsum, quia homo et animal, albedo et color, et alia consimilia

universalia non sunt relativa, sed mere absoluta.

Non etiam potest esse universale de praedicamento secundae intentionis assignato, quia tunc non sufficienter Aristoteles divisisset ens in decem praedicamenta, ~~si~~ sunt undecim. Immo plura debent esse praedicamenta quam undecim; si enim quinque praedicabilia faciunt unum praedicamentum, per idem quinque antepaedicamenta debent facere unum aliud praedicamentum, videlicet univocum, aequivocum, denominativum, subiectum et praedicatum. Iterum, quinque postpraedicamenta consequenter constituunt unum aliud praedicamentum. Et sic praedicamenta erunt tredecim — quod est absurdum.

Dicendum ergo quod nec universale neque aliquod praedicabilium est in aliquo praedicamento, quia conceptus qui de rebus plurium praedicatorum dicitur non est in aliquo praedicamento. Quod enim circuit omne genus, in nullo genere est. Ideo ens, et unum, et accidens, et absolutum, et respectivum et similia non sunt in aliquo praedicamento, sed sunt aut transcendentia aut ante vel postpraedicamenta.

Cum vero arguitur quod universale refertur ad particulare et genus ad speciem, ergo talia sunt in praedicamento relationis, negatur consequentia, quia idem et diversum ^{sunt} relativa, non tamen sunt in praedicamento relationis, quia sunt differentiae entis; sicut enim omne ens est unum vel multum, ita est idem vel diversum, universale aut particulare. Sicut ergo unum et multum non sunt in aliquo praedicamento, quia immediate dividunt ens, ita propter consimilem divisionem non sunt in aliquo praedicamento idem et diversum, universale ~~et~~ particulare. Ea ergo relativa quae fundantur in ente non sunt in aliquo praedicamento; sed quae fundantur in parte entis, videlicet in substantia, quantitate et qualitate, consituunt praedicamentum relationis, ut determinat Philosophus, V Metaphysicae.⁴⁹

Cum vero subiungitur quod universale est genus ex eo quod praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid, primo quidem fal-

sum est quod quinque praedicabilia differant specie; ex quo nullum illorum est species aut genus. Sicut enim omne genus ita et quaelibet species est in aliquo praedicamento. Nullum enim praedicabile acceptum sub intentione secunda est in aliquo praedicamento, quia quodlibet eorum de rebus plurium praedicamentorum dicitur; in quolibet enim praedicamento sunt genera, et species et differentiae, et in multis praedicamentis inveniuntur propria et accidentia. Deinde, concesso quod quinque praedicabilia differunt specie et quod de illis universale praedicatur in quid, non tamen propter hoc est genus; quia motus, ex quo invenitur in quattuor praedicamentis per Aristotelem et Commentatorem, III Physicorum,⁵⁰ non est genus, et tamen praedicatur in quid de pluribus differentibus specie, videlicet de motu ad ubi et de motu ad formam. Illa enim definitio generis debet intelligi cum nota immediate et exclusionis, sicut etiam definitio speciei; ita quod species ut sic praedicatur de pluribus differentibus numero solum, et genus secundum quod huiusmodi praedicatur immediate de pluribus differentibus specie solum. Sicut ergo ea quae solo numero differunt sunt eiusdem speciei, ita ea quae tantum specie differunt sunt eiusdem generis; constat autem quod motus ad ubi et motus ad formam non sunt eiusdem generis; ideo non tantum specie differunt. Quia ergo quinque praedicabilia non sunt eiusdem generis sicut neque eiusdem praedicamenti, ut probatum est, propterea non tantum specie differunt.

§7

De numero praedicabilium

Contra numerum praedicabilium ultimo arguitur. Et primo quod plura quinque sunt praedicabilia. Quia universale dividitur in quinque praedicabilia; sed nullum illorum quinque dividitur in quinque praedicabilia; ergo praeter illa quinque est dare sextum universale quod dividitur in ea quinque. Constat autem quod idem est universale et prae

dicabile; ergo sex sunt praedicabilia.

Item, individuum videtur esse unum aliud praedicabile ab illis quinque, quia individuum est intentio secunda, et definitur sicut aliquod illorum, et de ipso determinat Porphyrius sicut de illis.

Secundo arguitur quod praedicabilia sunt pauciora quinque, quia I Topicorum⁵¹ Philosophus non ponit nisi quattuor praedicata, videlicet genus, differentiam, proprium et accidens.

Deinde, praedicabilia videntur coincidere. Quia unum et idem est genus et accidens; color enim est accidens corporis et est genus ad albedinem et nigredinem. Species etiam non videtur praedicabile distinctum a proprio, quia si risibilitas, quae est proprium hominis, esset res superaddita homini, tunc esset alia species ab homine; et quia omnis species habet passionem propriam, consequens est quod risibilitas habeat aliam passionem, et sic in infinitum. Quod non est dicendum, quia in causis per se non contingit procedere in infinitum, per Philosophum, II Metaphysicae.⁵²

Ad primum respondetur negando consequentiam. Sicut non sequitur 'homo est species; et nullus homo singularis est species; ergo aliquis homo qui non est homo singularis', quia variatur suppositio -in hac enim 'homo est species' supponit ly 'homo' simpliciter, et in ista 'nullus homo singularis est species' supponit 'homo' personaliter-, ita cum dicitur 'universale dividitur in quinque praedicabilia' supponit ly 'universale' simpliciter, quando vero subiungitur 'nullum illorum quinque praedicabilium dividitur in quinque praedicabilia', supponit subiectum personaliter. Sicut ergo haec sunt simul vera 'animal est genus' et 'nullum animal est genus', ita haec sunt simul vera 'universale dividitur in quinque praedicabilia' et 'nullum universale dividitur in quinque praedicabilia'; nec contradicunt, propter variationem suppositionis generalis.

Item, negatur quod individuum sit praedicabile. Quia cum praedica

bile dividatur in omnia praedicabilia, necesse est quod universaliter praedicetur de quolibet illorum; si ergo individuum esset praedicabile, haec esset vera 'omne individuum est praedicabile', quod est falsum, quia Sortes non est praedicabile, neque Plato, quorum quilibet est individuum.

Ad secundum dicitur quod absolute loquendo de praedicato, sic praedicata sunt quinque sicut quinque sunt praedicabilia; omne enim praedicabile est praedicatum et e contra. Loquendo autem de praedicato per comparisonem ad definitionem, ut sciatur quae sunt includenda in definitione et quae sunt abicienda, sic praedicata sunt tantum quatuor. Unde Aristoteles, volens investigare definitionem, non fecit mentionem de specie, quia illa est quae definitur, sed solum de praedicatis speciei fecit mentionem, ut ostenderet quae praedicata speciei competunt definitioni et quae non. Genus enim et differentia ingrediuntur definitionem formalem; proprium ingreditur definitionem materialem; accidens autem nullam definitionem ingreditur.

De genere autem et accidente dicitur quod non inconvenit ea coincidere respectu diversorum. Sicut pater et filius dicuntur esse opposita non respectu diversorum sed eiusdem, quia idem est pater et filius, impossibile tamen est quod idem sit pater et filius respectu eiusdem, ita genus et accidens sunt opposita disparata non respectu diversorum, ut argumentum probat, sed respectu eiusdem. Quod enim color sit accidens alicuius et genus illius, est impossibile. Argumentum tamen aequivoce procedit, quia color dicitur accidens distinguendo accidens contra substantiam; sed non proprie est accidens accipiendo accidens ut distinguitur contra alia praedicabilia, quoniam omne praedicabile, proprie loquendo, est concretum et non abstractum, ut superius est ostensum.

Consimiliter dicatur de risibilitate quod non est vere proprium, ex quo sumitur in abstracto et non in concreto. Concedatur tamen quod

est passio distincta realiter ab homine, et quod est quaedam species praedicamenti qualitatis. Non tamen habet passionem, sicut nec differentiam proprii praedicamenti per quam definiatur, cum definiatur per subiectum suum loco differentiae, sicut et simitas; quare etc.